

130

AUCTORITATE
F R I D E R I C I I I.

LANDGRAVII HASSORVM 1779, 3.
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

ORATIONEM ADITIALEM
VIRI SVMME REVERENDI

**I O H A N N I S I A C O B I
P F E I F F E R I**

PROFESSORIS THEOLOGIAE ET PAEDAGOGIARCHAE
A. D. XXXI. DECEMBERIS AN. CICCIICCLXXIX.
HAB.

I N D I C I T

C A R O L V S H E N R I C V S G E I S L E R
SER. LANDGR. CONS. REG. PROF. ORD. IVR.
PVBL. FAC. IVRID. ASS. ET ACAD.
H. T. PRORECTOR

INSERTA EST DE IUDICIO SVPER RELIGIONE
ALIORVM FERENDO DISPUTATIVNCVLA

M A R B U R G I
EX OFFICINA BAYRHOFERIA.

etiam tunc sive ex parte illius sectio nes sive illius observationis
convenit neque illi huiusmodi sunt sive subiecti sive cogniti
propter rem illam sive aliam rationem ipsi sive auctoribus mentiuntur
in universitate sive in aliis empliudine sive in aliquam hioc et
legero modo sive in aliis sive in iure naturae sive rationis sive obit
exclusum. Alioquin non sibi datur cuiuslibet ratione sive
iure naturae sive rationis sive obit.

§. I.

IN STATU NATURALI RELIGIONEM ALIENAM.

DEFINIRE NEFAS.

Extra societatem homines ubi consideres, suo quemque arbitrio ac iure viuentes, neminem facile hac quidem tempestate nostra intelligentem rerum futurum arbitror, qui alterius in religione ius cuiquam tribuere ausit. Fert hoc non modo paritas illa iuris et conditionis, qua homines illo in viuendi genere omnes ac singuli sibi exaequantur, sed in primis etiam ipsa religionis notio ac natura, quae cum posita sit in modo dei et cognoscendi et colendi, necessario ad vniuersitatem propriam intelligentiam et voluntatem reddit, neque aut praescriptum aut iudicium alterius admittit. Evidem ne ab imperitis forte hominibus opinionis cuiusdam nefariae arguar licentiamue aliquam in rebus diuinis constituere videar, neutiquam perhibeo, quemquam sibi deum fingere posse et efformare pro lubitu, sed utique credo fateorque eo esse amplectendum modo, quo communis omnium pater generi se suo manifestarit. Id vnum

A 2 con-

contendo, soli deo huius nostrae intelligentiae ac voluntatis rationes esse reddendas, nec licere alteri illa in conditione hominum iudicem aut arbitrum religionis alienae agere, sed, si quid amplius de deo rebusque diuinis sapere fibi videatur, monere quidem aut docere alios, at pro veris, certis et exploratis sua iis obtrudere non posse, multoue minus adimere, quae hominem homini debere ratio et compages vniuersa rerum nostrarum dignitat.

§. II.

QVOD OBTINET QVIDEM INTER GENTES LIBERAS.

Vsi hoc venit potissimum inter gentes liberas populosque sui iuris, quibus hac de re eadem, quae singulis hominibus inter se, scripta sunt iura. Qui enim cum GROTIUS a) amplius iura gentium, sacris quoque discernere cupiat, eorumque pro diueritate vnam alteri praeponat, ego profecto nescio. Imo vero vituperamus omnes peruersas illas expeditiones, quae medio aevo contra gentes, vt vocabantur, infideles institui solebant, detestamur truculentiam Hispanorum, qua in Mauros Peruanosque facuierunt et quae plura sunt exempla immanitatis, a qua philosophiam et litteras artesque liberales postliminii quasi iure ad naturalem mansuetudinem nos reduxisse quis neget? Ego quidem, iurisconsultus homo, nolo querere de bellis

^{a)} de Iur. Bell. et Pac. II, 20, 44.

bellis Israeliticis contra Cananaeos, quae vulgo obiciunt,
mirorque adeo, quomodo GONNIUS b), antecessor quon-
dam Erlangenfis, quem ego, quamquam collega mihi non
contigit, ob eximiam doctrinam et praeclaram animi indo-
lem semper miratus sum, immittere se potuerit in hanc
quaestione. Namque haec omnia, tamquam quae aliena
sunt a cathedra mea, satius duco omittere, praesertim in hac
tanta rerum antiquarum obscuritate defectuque monumen-
torum et annalium, vnde, vtrum a diuersitate sacrorum,
an potius a territorio aliisque legitimis causis bellum exci-
diumque illud ortum coperit, certo iudicari possit. At
neque etiam auctoritates legum nostrarum de Turcis aliisque
nominis Christiani hostibus, quae ad me proprie pertinent,
quisquam mihi facile obiecerit, nisi illo tempore con-
ditas ignoret, quo aut a cultura omni ingenii studiisque
liberalibus alieni essent maiores, aut ad philosophandum
fese ex superstitione et infiditia vix erexissent,

§. III.

SED IN SOCIETATE NVNC NON VALET.

Iam haec quidem facile concedentur de liberis gen-
tibus hominibusque extra societatem constitutis, neque
video, cur in societate id seruari non potuerit. Postea-
quam vero praeter necessitatem ex solitudine cultus diuini
homi-

b) de probat, relig. §. XI.

homines eo consilio in coetus coierunt, ut eodem modo ac studio deum coniunctim colerent: per se consequens fuit, ut religionem singulorum dispicerent, ne quem forte alienis sacris deditum imbutumque in communionem suorum contra caussam finemque societatis admitterent. Nata igitur est potestas definiendi religionem alienam cum societate ecclesiastica, optandumque foret, ut intra hos se se cancellos cohibusset. Ex quo autem ecclesiae reique publicae iura ita inter se copulari vel potius commisceri coeperunt, ut religioni effecta tribuerentur ciuilia ac totum fere ius ciuitatis ei, tamquam saxe, adligaretur: porro factum est, ut Principum quoque ac magistratum interesset, videre diligenter et circumspicere, quibus quisque sacris et religionibus in ciuitate sit additus. Ortum inde est cum ipso iure reformandi ius Principum contra sectarios aliosque, qui propria sibi sacra in ciuitate constituant, (nolo enim funesto haereticorum nomine vti) non inane quidem, ut nunc res sunt, planeue in hoc tanto nostro erga religiones auitas amore cum periculo metuque turbarum et tumultuum abiiciendum, at caute tamen, circumspete moderateque usurpandum, ne libertas forte illa naturalis penitus sublata videatur, ac vis fiat animis ingeniosisque hominum resque publica, dum salua praestanda est, bonis probisque ciuibus vicissim emungatur.

§. IV.

§. I V.

VNDE INTER CATHOLICOS IVS PONTIFICIS
ET EPISCOPORVM.

Quae cum ita sint, primo omnium facile animaduer-
titur, penes quos sit in ecclesia catholica illa iudicandi po-
testas. Nam cum ecclesiam illi societate inaequali descri-
bant, cuius vna pars imperet, altera pareat, iis etiam,
quibus imperium tribuunt, necessario cum ipso principatu
ius et facultatem concedunt diiudicandi aliorum religiones,
satisque constat, ne exemplis rem agam, Innocentium III.
Pontificem maximum in concilio Lateranensi An. ccccxvi.
Episcopis c) adeo edixisse: *volumus et mandamus et in
virtute obedientiae districte praecipimus, vt ad haec (de
haereticis) efficaciter exsequenda episcopi per dioeceses suas
diligenter inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem.*
*Si quis enim episcopus super expurgando de sua dioecesi
haereticae prauitatis fermento negligens fuerit vel remis-
sus, cum id certis indicis apparuerit, ab episcopali officio
deponatur et in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui
velit et possit haereticam confundere prauitatem.* Vnde
cateruatum quidem ab auctoribus catholicis tam sacri quam
profani ordinis ad iudicia ecclesiastica id iuris refertur, sed
in Germania tamen dubium non habet, quin, si de Imme-
diato quodam, in primis locum et suffragium in comitiis

im-

c) c. 13. §. 8. X. de haeret.

imperii habente, agatur, auctoritas quoque Caesaris Ordinumque Catholicorum ea in re interuenire debeat. Verum et rarissime id nostra potissimum aetate eueniet, et vero etiam ad alteram illius potestatis formam pertinet, de qua in sequenti dicetur. Itaque quererere potius aliquis posfit, vtrum sint ea in re quaedam Pontificis partes, an vero Episcopis solis vindicari debeat, id quod potissimum cum Magistris Generalibus et Prouincialibus Ordinum religiosorum controuersias creare solet. Sed hanc ego quaestio[n]em dissentiente licet MOSERO d), cui ius Pontificis et quod inde maxime pendet Magistrorum, extra dubitationem positum videtur, tum demum recte explicari posse arbitror, cum de systemate papali aut episcopali inter Germanos conuenerit, notioque et caufsa omnis primatus pontificii plane constituta fuerit, quoniam ex Concordatis hac de re nihil sumi potest.

§. V.

INTER EVANGELICOS IVS ECCLESIAE.

Itaque veniam potius ad haec mea sacra. Atque hoc quidem loco non ignoro, quae hac de re inter MOSERVUM e) Vir. Perill. veteremque amicum meum SCHOTTIVM, virum doctissimum f), intercesserit haut ita pridem disceptatiuncula,

d) in den Abb. auf dem T. Kirchen-

e) loc. laud.

Rechte p. 142. et von der Teutsch,

f) in der unpart. iurist. Cristic, Stück

Religions-Verfass. p. 107 seqq.

XLV. p. 441 seqq.

cula, neque iubet tamen ei me ingerere, sed rem, propt
mihi videtur, breuiter edisseram. Itaque hoc mihi ante
omnia ex notione societatis aequalis, qua ecclesiam com-
plectimur, facile datum iri arbitror, ius esse commune
ecclesiae, quod doctribus ac ministris sacrorum nequaquam
tribui possit, sed ab vniuersa ecclesia usurpari debeat.
Vnde porro consequens est, vt, quem ecclesia in consortium
sacrorum admittat, is a dissentientibus ecclesiis repudiari
nequeat. Intellexerunt hoc Euangelici, vt ne aliumde
exempla conqueriram repetamue, in primis in pacificatione
Westfalica, et cum primum An. c*1510* c*XLV*. inter graua-
mina ecclesiastica g) retulissent, quod Catholici hoc sibi
iudicium sumerent, his licet obloquentibus et speciem ali-
quam contradictionis h) inde extricantibus, semel iterumque
tamen i) sibi hanc in suos potestatem solis vindicarunt,
in primisque tum per S*ALVIV M* k), tum ipsi l) hanc roga-
runt formulam: *Sicut autem Catholicorum notioni subest,*
quis sit Catholicus, nec ne? ita: quis A. C. sit consors, nec
ne? soli diiudicent Euangelici. Iam Catholici quidem
discrimine caussarum facto rogarunt m) potius hanc for-
mulam: *cognitio vero, quis sit Augustanae Confessionis?*
Si quaesito de immediato aliquo Imperii Statu in Pacem
religionis recipiendo aut eiusdem priuilegiis donando vel

B

etiam

g) To. II. ACT. PAC. p. 530.

k) To. III. p. 432.

h) To. II. p. 561, et To. III. 354. 367.

l) To. IV. p. 98.

i) To. III. p. 166. 284. 339.

m) To. IV. p. 127.

etiam priuando agatur, vtique ad Imperatorem et Status
vtrinque paciscentes pertinebit, cum vtrorumque ex aequo
interfit. Sin vero de iis quaeratur, qui in immediatorum
Imperii Statuum territoriis degunt, et aliam, quam reuera
colunt, religionem iactant, res vtique ad magistratus or
dinarii cognitionem pertinebit, ad euitandas lites et iur
gia, quae inde inter vicinos vnius vel alterius religionis
Status sese talibus cognitionibus in alieno territorio immi
scere volentes suboriri possent. Quae eum necessario displi
cerent Euangelicis, non venerunt quidem in formulam
pacis, sed omnis potius illa quaestio omissa. Neque pro
pterea tamen, quantum ego quidem intelligo, cum M
O
S
E
R
O
N
) et MA
I
E
R
O
O
) dicendum, aut nihil plane ea de
re constitutum, aut adoptatam fuisse veterem Catholicorum
opinionem de iudiciis Imperatoris omniumque Statuum.
Praeterquam enim, quod ex natura rei hoc sequitur, accedit
etiam, quod, cum Euangelici in correctionibus formulae
catholicae proscripsissent: *surrogetur articulus noster XVIII
additis et deletis addendis et delendis*, Volmarus deinde
Catholicorum nomine in colloquio cum Salvio qui id sibi
placere significauit. Vnde efficitur, vt, si vel maxime illam
quaestione ad id genus expunditorum referre nolis, cui
vis sua constat, saltem opinio illa Catholicorum tacite com
pro-

^{a)} in den Abhandl. aus dem T. Kirchen-

Rechte, To. I. p. 50 f_q.

Rechte, p. 159.

p) To. IV. p. 149.

^{b)} in dem Deutschen geistlichen Staats-

q) ibid. p. 155.

probata dici nequeat, cum se dissentire Euangelici sat aperte demonstrauerint, atque insecuto etiam tempore saepius idem fecerint, adeo, ut praeter alia omnia inprimisque ea, quae An. c. 10 cc XXXI. contra Salenses r) contulerunt, An. c. 10 cc XL. potissimum s) cautionem hac de re ipsi Capitulationi Caesaris illatos eos fuisse reperiam.

§. VI.

EIVSQVE VEL VNIVERSALIS, VEL GENERALIS VEL DENIQVE SPECIALIS.

Sed cum triplicis maxime sit formae ecclesiae Euangelica, vna, quae complectatur omnes, qui vbiuis terrarum sacra Euangelicorum colant, altera, quae imperii nostri finibus contineatur, tertia denique, quae intra limites singulorum territoriorum se cohipeat, vnitae omnes non imperii, sed foederis communiumue sacrorum vinculo: quaerere attinet, cui proprie huius rei iudicium tribui debeat. Qua de re sic arbitror animoque persuasum habeo meo, ut singulis suum hac de re iudicium concedendum sit, fierique adeo possit, ut a singulari quadam ecclesia in consortio sacrorum relinquatur, quem vniuersalis generalisue non agnoscet, contra repudietur a singulari ecclesia, de cuius orthodoxia

B 2

et

r) apud SCHAVROTH, in C. C. E. s) v. MOSERVS von Kayserlichen Re-
To. I. p. 500. gierungs-Recht. und Pflichten, p. 263.

et religione reliquae non dubitent. Sed ex ipsa illa tamen consociatione et communione sacrorum simul est ad intelligendum facile, maioris concordiae et unitatis habendae causa non negari posse reliquis ecclesiis facultatem admonendi adhortandique, si quam forte suorum aut remissius aut feuerius hoc iure suo vti videant. Habemus quidem eius rei inter nos in Germania, vbi Euangelici tum communi confessionis formula, tum multis etiam aliis modis arduis colligantur, quam plurima exempla, in primis ex praeterita aetate, quae referre nunc non lubet, constatque adeo nostros, cum Tigurini et Bernenses An. 1510 CC XXII. notam illam formulam consensus de praedestinatione suis obtrudere crederentur, neque quemquam sine eius adprobatione in societatem sacrorum admittere coepissent, ex comitiis t) ad eos scripsisse: *Sie belieben denen Evangelischen Churfürsten, Fürsten und Staenden zu Ehren, dem gesamten Evangelischen Wesen selbst aber und desselben in Gott gefälliger Sanftmuth und Gewissensfreiheit gesegneten Wachsthum zum Besten hierunter bey denen, welchen öfters berührte Formul anstoßig scheinen möchte, und welche sich sonst ihren Pflichten gemäß bishero wohl betragen haben, unmaßgeblich, wie einige Zeit mit rühmlicher Moderation geschehen, noch ferner in die Gelegenheit zu setzen, und solche Verfügung zu thun, daß zu Bekenntniß und*

t) ap. SCHAVROTH. To. III. p. 583 seq.

und Unterschrift derselben niemand wider Willen gezwungen oder deshalbem um so weniger angefochten werde, als verschiedene von den Evangelisch-Reformirten Kirchen in jenem Puncte der Gnadenwahl mit den Evangelischen gleichformige principia führen, solches auch von denenjenigen selbst, so der Helvetischen Confession zugethan, durch oeffentliche Bekennniß und den Druck kund gemacht worden.

§. VII.

SVO TAMEN MODO VSVRPANDVM.

Vsus sum hoc loco etiam propterea, quod scite admodum ostendit, quomodo hoc iure ab ecclesia vtendum sit. Scilicet quamquam in societate ecclesiastica naturalis illa libertas religionis a iudicio alieno non omnino admitti potest, hoc ex ea tamen semper reliquum est, vt ita usurpetur id iudicij genus, ne aut fines caussamque societatis, aut vires adeo naturae humanae, quae de rebus diuinis numquam facile cum aliis plane congruit, vlo modo excedat, soleoque adeo in hac caussa pro diueritate loci, quem quis aut docendo aut colendo sacra in ecclesia obtinet, discrimen constituere. Atque ad hos quidem, qui sacra tantum profitentur coluntue, nec vero ipsi docent, quod attinet, in primis caute cum iis procedendum est, vt ne forte ex suspicionibus circulisque matronarum plebeculaeque imperitiae sermonibus iudicentur, sed tum demum repudientur ab eccl-

ecclesia , cum aut verbis aut factis , de quibus hoc loco aliena foret disputatio , alienos se a summa et capite religio-
nis communis ostenderint . Tenendum hoc potissimum contra CARPOVIOS aliosque praeteriti temporis heroas , qui licet silentio et obliuione obruti paene videantur , adhuc tamen magnopere per ecclesias regnant , multosque ex doctoribus in primis , (vtrum per simplicitatem inscitiamue , an vero per cupiditatem imperandi , non definiam) ita captos tenent , vt parum passim absit , quin in praecordia mentesque hominum se immittant , et quos propter integritatem vitae insontiamque omnis culpae amare et imitari debebant , eos , quod non vbique secum deo consentire creduntur , ad perniciem trahant . Qui vtinam darent se ad officium , meminissentque eorum , quae RICHERIVS uⁱ , Doctor Sorbonnicus , ad reprehendendas artes Romanorum in Concilio Basileensi scribit : *officium sacerdotum esse potius , armis spiritualibns , quam sapientia mundana operam dare ad maestandos haereticos.* Evidem malim cum illis , quos dixi , haereticis viuere , quam contaminari commercio hominum , qui cum doctores cultoresque man-
suetudinis christiana se profiteantur , omne fere illud na-
turale studium quo homo in hominem fertur , eiurasse pe-
nitus , nec iuri , sed cupiditatibus omnia dare videntur . Cadunt quidem haec etiam in doctores , sed pro causa et
ra-

^{a)} in hist. Concil. gener. lib. III. p. 372.

ratione muneric, quod sacris ex communi ecclesiae sententia tradendis tractandisque continetur, facile adparet, de his illud super religione iudicium et saepius et vero etiam intentius sumi debere. Nam cum ecclesia coicerit ad sacra communia iisque ministrandis doctores praefecerit, necessario consequens est, quod Euangelici aliquando in caussa Glaeseneria ad Augustum v) grauiter contenderunt: *derjenige, welcher sich als einen öffentlichen Lehrer bestellen lässt, muß, so lange er das Lehramt führen will, nicht nach seinen Begriffen, sondern den symbolischen Büchern gemäß lehren, welche die Kirche, wozu er sich bekennet, als eine Regel und Richtschnur angenommeu.* Itaque cauendum quidem, ne quid fecus fiat, sed praeter ea, quae iam dixi, putauerim tamen, discernendam esse ea in re personam doctoris publicam priuatamque, nec quae priuatum sine vlla ratione muneric sui statuat contendatue, trahi debere ad iudicium de doctore sumendum, sed, si, quod maximum est, ceteroquin bene se gerat, neque in partibus officii sui obeundis communem ecclesiae doctrinam aut deserat aut reprehendat, verum, quantum quidem ad summam attinet, quae breuissimi est ambitus, integrum illibatamque praecipiat, suo in munere multoque adeo magis in confortio sacrorum esse relinquendum, nisi forte, quod nescio atque ab illo docentium ordine potissimum desidero, ita iam limata contendas, vt nihil addi, nihil detrahi possit.

§. VIII,

u) ap. SCHAVROTH, To. I, p. 708.

§. VIII.

NON EXCLVSA EA IN RE OMNIS POTESTAS
CAESARIS ET DOMINORVM TERRITO-
RIALIVM.

Sed age, quaeramus etiam, an et quae nam tandem ea in re sint Imperatorum dominorumque territorialium partes? Illos enim in primis omni eius rei potestate exuere multi solent, exstinctaque nuper in primis incertus quidam homo, qui id proprio libello v) quamquam verborum potius mellitis globulis, quam argumentorum pondere et rationibus ageret, ut Augustos cum iudiciis imperii omni religionis alienae arbitrio exclusos ad pareret. Ego vero, ut ne argumenta aduersariorum copiose refellam, sed rem mea ex sententia paucis complestar, ius illud Principum, quod supra (§. IV.) ex natura rei constitui, plane non intelligo, quo modo Principibus nostris, cuiuscunque sint loci aut gradus, adimi detrahiue possit, praesertim cum An. cīcīo LXXVI. ipso R. I. w) planis verbis sanctum sit: *Auf dass in mittlerzeit den verfuhrischen, je länger je mehr beyden der alten Religion und Augspurgischen Confession zu wieder einbrechenden Secten und irrigen Opinionen kein Raum noch Statt gelassen, sondern dieselbe von dem H. Reiche Teutscher Nation unserm geliebten Vaterlande abgewendet*

v) von der Gerichtsbarkeit der höchsten (I. l. 1779. 4.) p. 12 fqq.
Reichsgerichte in geistlichen Sachen, w) §. 6.

werden: so haben wir uns mit ihnen den gemeinen Ständen und sie sich hinnider mit uns verglichen, daß solchen Seeten und irrigen Opinionen, so wie gemelt, sich von beyden der alten Religion und Augspurgischen Confession absondern, oder denselben zuwider seyn, vermög des Religions-Friedens keine gelitten noch gedult, sondern allenthalben der Gebühr und dem Religions-Frieden gemäß gantzlich abgeschaffet werden. Quo quidem solo loco, (neque enim plures legum nostrarum auctoritates, de quibus alio quoniam loco dixi, in praesenti adferre aut recensere lubet, quae in nupera Visitatione ad rogationem Camerae imperii de Mennonitis eorumque iurecurando x) acta nouimus) satis arbitror intelligi recte nuper Imperatorem GAS NERO interdixisse praeſiliis, tanquam quae rei sacrae et profanae effent contrariae, neque etiam dubito, quin in confor- tes aliorum sacrorum eodem iure vti possit. Vnde multo adhuc minus de Principibus dominisue territoriorum, qui- bus maior adeo est huius rei et opportunitas et necessitas, ambigi mihi posse videtur. Non retulerim huc quidem in- ter Euangelicos omnia, quae pro opinione sua M O S E R V S y) proposuit exempla, (pertinent enim pleraque ad ius collegiale potius, quod ex mandato ecclesiae praeter prin- cipatum inter nos usurpant) sed quae in patria mea cum Hernhutanis gesta sunt, ex hoc imperii iure sine vlla dubi-

C

ta-

x) v. Original-Briefe über die letztere
Cammergerichts-Visitation T. I. p. 32.

y) von der Landeshoheit in geistlichen
Sachen. p. 125.

tatione repeti debent. Atque ita adeo MOSERVUS, 2) quem honoris breuitatisque cauſſa iterum adpello, Catholicis quoque tum inter ſuaे, tum etiam inter alienae religionis ſubditos idem iuris reſte vindicauit.

§. IX.

NEQVE ADEO IVDICIORVM.

Per haec ipsa vero ſatis confeſtum arbitror, non poſſe iudiciis aut collegiis, quae ſacra dominorum vice funguntur, eius rei arbitrium adimi. Sed nescio tamen, qui tandem fiat, vt iudiciis territoriorum facilius, quam imperii id concedatur. Quod non poſſum ducere, niſi ex qualitate cauſſarum eccleſiaſticarum, quas a iudiciis ſecularibus Catholici alienas ſtatuum, praesertim cum Visitatores olim Camerae imperiali communi confilio aa) edixerint: *wenn auch der Kays. Maj. vorgekommen, daß Eheſachen am Cammer-Gerichte angenommen werden, da doch in ſolchen Fällen des Cammer-Gerichts Jurisdiction nicht fundiret, als will man Cammer-Richtern und Beyſitzern hiermit befohlen haben, ſolche, auch andere Sachen, fo dahin nicht gehärig, keinesweges anzunehmen, atque vniuersi adeo Euangelici poſthaec ſaepius iudiciis imperii hac in re aduerſati videantur.* Vt ne enim fine cauſſa repetam, quae An. cccxcixiii. bb) et porro cc) Euangelici ſuis ea de re ſerio

com-

2) l. c. p. 265. 433.

aa) in Mem. Visit. d. d. §. Decemb. 1570.

§. 7. in Corp. iur. camер. p. 304.

bb) v. STAATSC. To. XXVII.

p. 121.

cc) v. ib. To. XXVII p. 130.

commendarunt, nostraque adeo memoria dd) subinde accidisse nouimus, in primis An. 1510 CCL. cum causa Glaeseneria ferueret, ad Augustum ee) hunc in modum retulere: zu der Zeit, wie die höchsten Reichsgerichte angerichtet worden, hat man darauf nicht gedacht, ihnen die Besugniß mitzutheilen, in geistlichen Sachen, und besonders darüber zu erkennen, ob ein Pfarrer seines Amts zu entlassen, und ob seine Lehren für rechtgläubig zu halten sind, welche Gewalt sich anzumassen in Teutschland vor der Reformation als eine Sünde der Layen angesehen wurde. Nach der Reformation haben zwar die Evangelische von der Kirchengewalt ganz andere Meinungen, als die Catholische gefasst, ideoch leicht begriffen, daß sie sich der größten Gefahr aussetzten, daferne dergleichen Fragen anstatt der Catholischen geistlichen Richter denen Catholischen weltlichen Richtern zu beurtheilen überlassen würden; mithin so wenig gewilligt, als es ihnen angemuthet worden.

§. X.

NEQVE EXTENDENDA TAMEN AD IVS COLLEGIALE ECCLESIAE.

Itaque ut hunc nodum quasi extricem ostendamque adeo, quatenus iudiciis imperii potissimum, a quibus ad alios facile concludi potest, id genus potestatis tribuendum sit, eodem fere, quo de reliquo caussarum ecclesiasticarum genere, hanc litem modo componi posse putem. Quem-

C 2 ad-

dd) v. N. STAATSC. Tom. XXV. ee) ap. SCHAVROTH, Tom. I.
p. 244 sq. p. 780.

admodum enim omnes caussae, quae vere proprieque sunt ecclesiasticae atque ad disciplinam internam ecclesiae constitutionem redeunt, sub potestatem iudicis dominie profani non cadunt, sed pro vniuersitatis ratione vel ad Episcopos vel ad ecclesiam eiusue vicarios referuntur: ita quoque de doctrina ipsa iudicium sibi domini magistratusque sumere ecclesiae praescribere nequeunt, quem in societate aut habeant aut excludant, sed qui vnam alteram summam doctrinae diuinae in imperio nostro comprobatam amplectitur, atque ab ecclesia in communionem sacerdotum admittitur, eum ipsi quoque orthodoxum habere debent. Contra vero, quos repudiat ecclesia, neque altera quaedam in imperio legitime adprobata in finum recipit, eos utique in ius ad tribunal vocare licet, quoniam hoc proprie non est ecclesiasticum iudicium, sed potius seculare, ex occasione caussae ecclesiasticae tantum ortum, cuiusmodi etiam aliis in caussis magistratibus iudicibusque imperii ac territorialium recte ff) vindicantur. Illustrat haec mirifice, quod Camera Imperialis d. xxii. Ian. An. ccccix. decreuit gg) ad Supplicam Fiscalis Caesarei contra W. et L. pro mandato de non tolerando sectarios his verbis: *noch zur Zeit abgeschlagen, sondern vorfern Supplicant, vorinnern derer angegebenen Sectirer unchristlich und ungebührlich Leben und Wandel eigentlich besthe, wie auch, ob selbige alle*

ff) vid. CRAMERVS de caussis con-
fessorialibus, an et quatenus ad iudi-
cium Imp. aulicum spectent. (Al-
torf 1699) cap. III, § 13, et HÖR-

NIVS in Iuris publ. prud. c. XLII.

§. 29,

gg) ap. GONNIUM de probat. rel.
§. XXVI.

alle drey im Reich erlaubte Religionen, oder welche unter denselben ganz oder zum theil, und diesfalls, in was für Puncten und Artickeln verwerfen, auch was sie dahingegen in ihren sogenannten Uebungen heimlich oder öffentlich den Leuten vorpredigen, vorschmitzen und ausbreiten, und was sonst diesem anhangen mag, in specie und besser, als geschehen, beybringeu und becheinigen wird, soll darauf ergehen, was recht iſt. Id enim iudicium ecclesiae ante omnia desiderat.

§. XI.

SED EX EIVS IUDICIO REGULARITER VSVRPANDA.

Ex quo etiam oppido adparet, illam potestatem Principum, si de regula quaeras, usurpandam esse praevia ecclesiae sententia, vnde de heterodoxia aliena constet, atque esse adeo praesertim in iudiciis imperii hac nostra aetate non admodum frequentis usus sic, vt inanes etiam vulgo h) dicantur actiones, quae contra haereticos olim in iudiciis imperii proditae fuerint. Neque dubitauerim tamen, posse aut debere potius ex praescripto legum nostrarum, quae triplicem tantum religionis formam in Germania admittunt, sua sponte Principes nostros hac auctoritate sua vti, si quem de deo eiusque cultu ita praecipere et constituere intelligent, vt fundamenta et principia omnium illarum trium religionum euertat, ac nouam plane sacerorum formam inflituere videatur. Quod quamquam in singulis territoriis saepius locum habere potest, neque in Imperio tamen plane

est

h) DECKHERRVS ad BLVM. XXX, 35.



est inauditi exempli, imo vero nouimus, Imperatores aliquoties hoc iure suo vfos esse atque ex officio animaduertisse in eos, qui res nouas huius generis moliri iudicarentur. Vnde etiam ad extremum consequens est, vt praeuertendi mali caufa liceat Principibus circumspicerè scripta, conuenticula et quae alia de sacris instituuntur.



Sed haec tantum attigisse satis fit. Indicenda enim oratio aditialis

VIRI SVM ME REVERENDI
IOHANNIS IACOBI PFEIFFERI

qui collega nobis nuper exoptatissimus contigit. Quam enim morte WYTTEBACHII res nostra iacturam fecerat, eam arbitratus est PRINCEPS optime et certissime resarciri posse facundia doctrinaque Viri, qui, cum inter ecclesiastici muneres partes studia litterarum, vtcumque poterat, scribendo docendisque retinueret, ex suggestu in cathedram traductus litterisque totus redditus mirifice in hac arte sua versaturus videretur. Sed lubet audire Virum ipsum de se rebusque suis ita exponentem:

Natus sum Cassellis d. vi. Octobr. ccccccxxx. Parentes, nunc quidem morte ereptos, a me autem, id quod singulari plane ipsorum in me amori debeo, pia memoria nunquam non colendos, benignissimum numen dederat Hieronymum Pfeifferum tinctorem, Senatorii ordinis virum, et Annam Elisabetham e stirpe Schaumbergia. Hi, vti nihil omiserunt, quo consulerent mihi, ita et in eo prospexerunt, vt satis mature me doctrinis, quibus impertiri solet puerilis aetas, erudiendum vni et alteri magistro traderent. Quum annum agerem decimum, Paedagogio, quod tum Rectore suo Wetzelio Cassellis continebatur, adscriptus sum, ibique quatuor et quod excurrerit, annos in bonarum literarum studiis exegi. ccccccclv. e schola publice exercitus ad Collegium illustre Carolinum transi, eidem Wetzelio et Steg-

Stegmanno in eo Professoribus ita operam datus, vt et sub huius
 praefidio dissertationem *de acquiescentia hominum in voluntate*
divina publice defendere. c*1700*CCLVII. Academiam Marbur-
 gensem adii, et per tres annos, inter rumores et strepitus eius
 temporis bellicos, institutionibus Wyttenbachii, Kraftii, Duyfin-
 gii, Spangenbergii, Coingii, Haafii et Schroederi vissus sum,
 virorum, quorum pars ad coelites abierunt, parte nunc Col-
 legas amo et veneror. Sed et Goettingae iniuriae cupidio
 vnum adhuc supra illos tres annum optimi parentes concesse-
 runt, quem studiis in primis philologicis, duce Michaelie, im-
 pendit, addens historica et physica, praeante Walchio et Holt-
 manno. Tandem finitis studiis academicis, et superatis, quae
 leges patriae examina praescribunt, in Album Candidatorum
 c*1700*CCLXI. relatus et non multo post pastor inter Cassellanos
 extraordinarius nominatus sum. Ita quatuor mihi effluxerunt
 anni inter varias non ad munus pastoris solum spectantes exer-
 citationes, sed et paelectiones exegeticas, quas nominillis Col-
 legii Carolini citibus rogatus habebam. c*1700*CCLXV. Macro Sual-
 bacum illad ob acidulas celebre pastor ire iussus sum. Interea
 accedit, vt, qui Francofurti ad Moenum commorantur Reformati,
 pastoris electionem c*1700*CCLXVIII. instituerent, et inter eos, e qui-
 bus optio dabatur, et me cum Krafftio meo, amico intimo,
 ponerent. Quo facto huic quidem, viro pre aliis digno, con-
 figit fors, ego autem in eius locum suffectus coetuique, qui
 Cassellis in civitate superiore noua colligitur, pastor creatus sum.
 Ingratus forem, si non huius ipsius coetus et in me, prout
 solet, amorem et fauorem, palam profiterer, et decem illos felices
 mihi annos dicerem, qui et carissimam coniugem, Luciam Rebec-
 cam Rüppeliam, Iohannis Rüppelii, Consiliarii quondam Consi-
 storialis atque ad S. Martinum Decani, filiam An. c*1700*CCLXXII.
 darent. Lubens ideo locum hunc, si Deo ita visum esset, et
 porro tenuissim, praesertim cum hoc ipso anno ab Indulgen-
 tiissimo Principe, quae eius iam tum fuit singularis erga me
 benignitas, inter Directores Lycei Fridericiani, loco veteris il-
 lius prope in modum collapsi paedagogii, pro mirifico eius in
 litteris iuuandis studio, tum aedibus, tum vero etiam pecuniis
 lau-

lautissimis legibusque et institutis saluberrimis fundati, d. V. Februario constitutus essem. Sed aliud quid ab ipso rerum humanarum arbitrio, in quo haec tenus confisus fueram, et in quo ad extremum usque halitum confidam, decretum fuerat. Euenit enim praeter omnem expectationem meam, ut Professoris in Academia Marburgensi Theologi, et Paedagogiarchae prouincia mihi demandaretur, in qua ut semper partibus meis satisfaciam, et satisfacere queam, hoc volo, hoc a Deo O. M. contendeo.

Edidit praeter *Orationes sacras libellum in primis elementarem de principiis et fundamentis religionis Christianae (Entwurf zum Unterricht im Christenthum)*, breuique editurus est commentarios de vita scriptisque Hermanni Fabronii (*Nachricht von dem Leben und Schriften Hermann Fabronius, Dechans des St. Elisabethen Stifts zu Rotenburg an der Fulda und Superintendenten des dasigen Bezirks, nebst einer kurzen Anzeige der fämlichen Hessianen Superintendenten des Casselischen und Rotenburgischen Bezirkes seit der Reformation — als ein Beytrag zur Hessischen Litteratur*), de quo multa ei ex biblioteca PRINCIPIS concessa sunt. Iam vero munus, quo iam ab initio hibernarum egregie fungi coepit, a. d. XXXI. Decembbris adibit oratione follemni, qua et *imaginem theologi nec placitis veterum neque opinionibus recentiorum nimis indulgentis expressurus*, et benignitatem PRINCIPIS cum fauore COMITVM, SCHLIEFENII potissimum, Curatoris nostri, inter vota bona precesque pias celebraturus est. Hanc igitur orationem ut hora xi. praefentia frequentiaque ornent et concelebent ILLVSTRISSIMVS CÖMES, PROCANCELARIUS PERILLVSTRIS, DOCTORES ET MAGISTRI DIVINAE HVMANAEOVE ARTIS CONIVNCTISSIMI GENEROSISSIMIQVE ET ORNATISSIMI COMMILITONES et qui praeterea litteras amant et tractant, verbis ornatismissimis humanissimique precor. P. P. in ACADEMIA MARBURGICA a. d. XXIX. Decembbris An. ccccclxxix. sub Sigillo Academiae Maiore.

(L. S.)

Marburg, diss., 1773-
8

ULB Halle
005 359 880



3

vDn8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



130

AVCTORITATE

FRIDERICI II.

LANDGRAVII HASSORVM 1779, 3.
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

ORATIONEM ADITIALEM
VIRI SVMME REVERENDI

IOHANNIS IACOBI PFEIFFERI

PROFESSORIS THEOLOGIAE ET PAEDAGOGIARCHAE

A. D. XXXI. DECEMBRIS A. C. MDCCCLXXIX.
HAB.

INDICIT

CAROLVS HENRICVS GEISLER

SER. LANDGR. CONS. REG. PROF. ORD. IVR.
PUEL. FAC. IVRID. ASS. ET ACAD.
H. T. PRORECTOR

INSERTA EST DE IUDICIO SVPER RELIGIONE
ALIORVM FERENDO DISPUTATIVNCVLA

MARBVRGI

EX OFFICINA BAYRHOFERIA.